

## I. DESCENSUS AD INFEROS.

40. Ac primo quidem filium Symboli Aposto-  
lici secunda Confessio descendisse faterur Christum  
ad inferos.

41. Qui articulus cum non modo à recentiori-  
bus, verum etiam iam olim ab Orthodoxis Vete-  
ribus Ecclesie Doctoribus, non eodem modo sit  
explicatus, factum, ut varia semper de eo mo-  
ta fuerint Questiones: quas tamen pleraque cu-  
riosas magis, quàm salutare & in verbo DEI  
definitas, partim simplicitas fidei, partim docta  
ignorantia, ut August. loquitur, solidissimè po-  
test decidere.

42. Plerique ex Patribus in enumeratione Ar-  
ticulorum fidei descensus Christi nusquam memi-  
nerunt: quemadmodum in Nyceno etiam Sym-  
bolo ille non extat.

43. Contra alij, inter quos facile primus est  
Athanasius, articulum istum disertè ponunt:  
& recitat Socrates lib. 2. hist. Ecclesiast. cap:  
32. Symbolum fidei Syrmij, ubi itidem ille ex-  
pressus legitur.

44. Et sanè ut posterioribus his adstipulemur,  
& descensum Christi ad inferos non meta-  
phoricum aut imaginarium, sed realem cre-  
damus, ac proinde proprium & singularem  
consti-